

IOANNES ERNESTI RECTOR HEIDELBERGENSIS.



Ioannes ille ab ineunte ætate operam literis dedidit, & Heidelbergam sese ad Academiam contulit. Ibi audiendo, scribendo, legendo, & disputando frequenter sese exercuit, atq; in uirum doctissimum euasit. Erat is ingenio fœlici, & eloquentia mirabili prædictus. Hisce etiam Dei donis uitæ puritas cedebat. Itaq; primò in numerum professorum ascitus, postea aliquoties eius Vniuersitatis Rector creatus fuit. Hinc factū ut omnes eum suspicerent, atq; uelut scholæ eius decus amarent. quod si etiā de quæstionibus lis erat, totum negotium ad eum deferebatur. Sua enim industria omnes difficultates facile soluebat. Scripsit is de ieunio ad Vniuersitatē, præterea de auctoritate Concilij, idq; potissimum anno millesimo quadringentesimo quadragesimo, cum Amadeus Sabaudus Basileæ pontifex renunciaretur. Deinde quæstiones sententiarum, & plurimos sermones & orationes. Tandem ætate grauis ibidem moritur & sepelitur. Trist.